



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Quorundam in hac materia minus probanda persuasio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)



P A R S I.

*In qua premittuntur incitamenta quedam ad se-
riam atque constantem circa Iesum crucifixum
exercitationem.*

C A P V T I.

lisetiam, qui in virtutis studio non parum pro-
fecerint, eam occupationem utilem atque
necessariam esse.

§. I.

Quorundam in hac materia minus probanda persuasio.

PRius quàm ad illud, quod hac pri-
mâ parte faciendum suscepi, aggrediar; ut
certa nimirum incitamenta proponam, qui-
bus ad assiduam divinæ passionis memoriam,
amorem, studium, imitationem extimule-
mur: amolienda nobis est hoc loco falsa
quædam, & (uti arbitror) in via spiritûs non parum nociva
nonnullorum persuasio; qui frequentem illam, quam com-
mendamus in hoc opere, circa Christum passum, aut omni-
no circa sacram ipsius Humanitatem, exercitationem, eorum
tantùm arbitrantur esse propriam, qui spiritualem vitam mo-
dò aggressi, in ea rudes adhuc & imperfecti sint; quos utique
convenit principiò mentem informatam ac depictam habere
sanctis vitæ Christi ac passionis ejus imaginibus; earumque
virtu-

A

virtu-

virtutum exemplis, quæ nobis in sua Humanitate exhibuit, sensim ad majora ac diviniora provehi.

Serm. 23.
in Cant.

Qui verò jam paulùm ultra communem ac vulgarem virtutem progressi sint, aut in gradu aliquo perfectionis Christianæ constituti, hos jam non in istis Humanitatis Christi exercitijs, sed in sublimibus atque arcanis ipsius Divinitatis mysterijs esse distinquendos. Imò his potius expugnandas esse ex animo (quoad fieri poterit) universas, non modò ceterarum rerum corporearum, sed ipsius quoque Humanitatis Christi imagines; eò quòd & illæ impedimento sint, ad illud (ut Bernardus appellat) theoreticæ contemplationis arcenum, & intimam cum Divinitate conjunctionem aspiranti.

Nempe sacram Christi Humanitatem assidue habere præ oculis, complecti membra, palpate vulnera, & dulcibus circa hæc tenerisque sensibus affici; etsi ipsum id quidem & sanctum sit, nescio quid tamen carnale sapere: hisque occupatam hominis mentem ita teneri; ut ne omnibus denique exuta rerum corporatarum simulacris, nudæ adhæreat incommutabili veritati.

Serm. 20.
3o Cant.

Compertum id S. Bernardo, viro (si quis alius) earum rerum experientissimo, qui quodam sermone planè ac disertè pronuntiat: istius modi, erga Christi carnem occupatum & defixum amorem, quo quis videlicet *Christo passio pie compatitur, compungitur & movetur facile ad memoriam eorum quæ pertulit, atque istius devotionis suavitate pascitur*, carnalem esse quodammodo; illius nimirum amoris respectu, quo non tam Verbum caro sapiat, quàm Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, &c. Ut proinde ei, qui meliora charismata æmuletur, omittendus sit ille quasi carnalis amor, & ad spiritalem divinioremque aspirandum: quemadmodum ait Apostolus: *Et, si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.*

2a Cor. 9.

Et sa-

Et sanè nisi hæc circa Christi Domini Humanitatem occupatio, subtiliori ac puriori Dei contemplationi impedimento esset, non præciperent Theologiæ mysticæ Magistri ei, qui ad intimam contemplationem, & mysticam cum Deo conjunctionem admissus sit, exinaniendum esse fundum animæ, & deponendas esse omnes etiam rerum sanctorum imagines, & nudo atque indepicto intellectu, sive ab omnibus aliarum rerum formis vacuo, in suprema quadam nuditate ac paupertate spiritus, & omnium animæ facultatum silentio, ipsi Divinitati sinè medio adharendum. Quos inter Ludovicus Blosius in præclara sua Institutione spirituali accuratè admonet; in actu mysticæ intimæque unionis cum Deo, destinandas quaslibet sanctas cogitationes & imagines, & memoriam quoque Dominicæ passionis deponendam: quòd hæc etiam medium aliquod constituat inter animam & Deum. Testaturque hoc ipsum experta B. Angela de Fulginio: sese videlicet in suprema extasi, & intimo lumeni boni complexu positam, non jam amplius meminisse Humanitatis Christi, aut ullius rei quæ formam habeat, sed simplici quodam intuitu (ut ipsa agebat) omnia videre, & nihil videre, solitam. Quo modo etiam docet B. Albertus Magnus, hanc esse hominis in hac vita subliorem perfectionem: *ita Deo uniri, ut tota anima cum omnibus potentijs suis & viribus in Dominum Deum suum sit collecta, ut unus fiat spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat nisi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio unita, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant.* Denique disertè tradunt nonnulli, ei qui ad Deum aliquantò propius accesserit, omittendam esse passionis Christi ejusque vulnerum, commentationem, neque jam (ut ajunt) de plagis ostiarijs cogitandum; quòd illud jam, saltem ex parte, affectus sit, quò illa conducit circa sacram Christi Humanitatem assumpta exercitatio.

Cap. 121

Vit. c. 6.

De adhar.

Deo c. 3.

De myst.

theol. c. 3.

p. 3, apud

Bonav.

23. q. 82.
a. 3. ad 2.

Quamobrem præclare etiam Doctor Angelicus: *Quæ pertinent ad Christi humanitatem* (inquit) *per modum cuiusdam manuductionis maximè devotionem excitant: cum tamen devotio principaliter circa ea, quæ sunt divinitatis, consistat.*

Philip. 3.

Aliæ nimirum sunt perfectorum propriæ, aut eorum, qui jam ad perfectionem propiùs aspirant, aliæ incipientium aut lentè adhuc proficientium exercitationes. Pœnitentiæ luctus, compaſſionis lachrymæ, mortificationis horror, quotidiana crucis studium, sancta & principiò opportuna sunt exercitia, sed velut tyronum atque imperfectorum in via spiritûs rudimenta: quibus ubi quispiam temporis aliquid, sub ipsa initia dependerit, porrò pergendum est, & ad altiora ac diviniora aspirandum. *Quæ retro sunt* (inquit Paulus) *obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum.* In simplici ad Deum adhæſione, in amore puro ac defæcato, in rerum omnium corporalium ac sensibilibum transgressu, posita est animæ perfectio. Neque dubium esse potest, quin nudi ac puri amoris actus unicus sæpe pluris sit in oculis Dei, quàm centum impuri atque permixti, aut quàm plures alij, ex genere suo, naturæ aut notæ inferioris. In istis igitur nobilissimis ac divinissimis actibus singulariter exercendus est animus, in his studium omne ponendum, omnis industria collocanda.

Itaque & eos hoc loco audire videor, Christi crucifixi studiosum ascetam in hunc ferè modum compellantes: Quid usque langues circa infima, & in his quæ pridem esse te prætergressum oportuit, quasi rei summa in illis sit, tanto studio occuparis? In istius jugi summo vertice, in ista luce, in puro illo, quem vides, æthere situm est bonum tuum: & tu circa pedem montis oberras, & directo calle omisso, quo brevi tanquam compendio ad summa quæque possis eniti, eò per ambages, obliquosque flexus, & devios tramites contendis, & longo labore, non magno operæ pretio, circum-

circumversando & circumflectendo lassaris. Assumat denique anima tua pennas aquilæ, & sanctâ quadam libertate spiritus, trans omne quod divinitus non est, evecta, introeat in potentias Domini, & per mysticam adhesionem complexumque intimum, unus cum Deo spiritus effecta, prægustare incipiat Sanctorum in cœlo beatas delicias; qui utique nullis impressi formis istorum sensibilium, nullis cujusvis creatæ rei imaginibus occupati, intimè ipsi Divinitati & absque ullo modo adhærescunt. Sic illi.

Quorum oratio quid veri aut probi habeat, quid è contrario falso affine involvat, in sequentibus disquirendum est: si id modò præfatus fuero; me dum unicuique hominum generi contendo necessariam esse seriam atque constantem circa Christum crucifixum exercitationem, nollem id præfidenter intelligi, de hac speciali à nobis tradita animæ devotæ occupatione; (quippe quam, plusculis levioribus ac minutioribus exercitijs constantem, in tyronum duntaxat gratiam, atque minùs in via spiritus exercitatorum conscribimus, aut eorum sanè quorum ea palato arriserint) sed quòd universè ad perfectionem, aut intimam cum Deo adhesionem aspiranti, aliqua circa IESU Christi passionem exercitatio assumenda & retinenda sit, verùm hæc vel illa pro cuiusq; genio, & cuiusque statui aut conditioni accommodata.

§. 2.

Aspirandum non esse ad contemplationis quietem, nisi per assiduam Christi patientis meditationem atque imitationem.

Sacratissima Christi Humanitas, sive eorum quæ dulcis Redemptor noster in carne gessit aut passus est, studiosa & crebra meditatio, ostium est quo introcatur ad ipsius divinita-